rant, *interim* permitterentur, dum de illorum diſſentientibus ſententiis a Concilio decerneretur. Id factum moleſte admodum Pontifex tulit, atque a Germanica legatione Sfrondato Cardinali evocato, Fani Epiſcopum optimis moribus, & doctrina excultum nuntium ad Cæſarem miſit, qui de iis, quæ geſta fuerant, expoſtularet, acta reſcindi peteret, quæcunque poſſet Germanicæ genti per Legatos Pontificem conceſſurum polliceretur. Mox Pighio, ac Veronenſi Epiſcopis in Germaniam miſſis, prolapſis rebus, nullum remedium morbo ſævienti afferri potuit, quin in dies augendo ſeſe, ac proferendo, ingenti totius reipublicæ chriſtianæ malo per alias quoque provincias graſſaretur. Hujus peſtis ne aliqua labes imperium Venetum afficeret, diligens, & admodum ſevera Venetorum cura, ac diligentia extitit, qua effectum eſt, ut eam urbem, in quam ex totius orbis regionibus innumeræ gentes confluunt, nulla morbi illius contagia attigerint.

1548

Cæſar edictum promulgari juſſit, Interim *vocatum. Paulus Pontifex Fani Epiſcopum ad Cæſarem mittit ut acta reſcinderet. Pighius & Veronæ Epiſcopus a Pontifice in Germaniã miſſi. Venetorum ſedulitas ad hæreſes a ſuis ditionibus arcendas.*

Dum hæc fiunt, diverſiſque curis, irrequieto ſtudio Principum mentes ſolicitantur, Maximilianum Ferdinandi filium, nuper filia connubio juncta, generum ſibi adſcitum, Carolus in Hiſpaniam proficiſci juſſerat, ut, Philippo in Germaniam proficiſcente, Hiſpaniarum adminiſtrationem ſuſciperet. Illi per Reipublicæ fines iter habenti, Vicetiæ, ac Veronæ præfecti obviam ivere, Senatuſque nomine liberaliter excepere. Philippus vero ad patrem in Belgium iturus, Barcinonæ cum claſſe, cui Andreas Auria imperabat, ſolvens V. kalend. decembris Genuam pervenit. Ea in urbe Italorum Principum legatos obvios habuit; Federicum Baduarium, præclara juventa inſignem, qui id muneris obiret, Senatus delegit: is, Patrum nomine Genuæ Philippo conſalutato, per Venetas ditiones comitatus eſt. Nulla publicæ Venetorum liberalitatis, ac ſtudii erga præpotentem Principem, Cæſariſque filium officia, atque argumenta deſiderata ſunt; pons peregregie ornatus Atheſi amni, qua tranſeundum erat, inſtratus fuit; eum ad Veronenſium fines, nobili, ac frequenti plurimorum corona ſtipatus Veronæ præfectus excepit, magno variis ex locis mortalium numero viſendi ſtudio confluente. Inde ex agro Veronenſi Tridentum profectus, per Germaniam in Belgium ad Cæſarem Bruſcellis commorantem tranſiit, qui, ut aſſiduo metu

Cæſar, filia fratris filio unita, illum in Hiſpaniam mittit Veneti Maximilianum ad fines Reipublicæ excipiunt. Philippus Rex ab Auria Genuã perducitur. Federicus Baduarius orator ad Philippum Regem.

Ger-